



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Bononius Abbas. 30. Augusti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

## S. BONONIUS ABBAS.

30 Augusti.

*Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ.*

1. Joan. 2.

**O**ptima Philosophiæ pars est mortis meditatio; hæc BONONIVM puerum Mundo mori docuit, qua quidam morte ad vitam nihil est salubrius. Hinc Ægypti desertam petiit, tantamque sanctiorum civium frequentiam invexit, ut in solitudinem urbes, in urbes solitudinem diceres migrasse. Ipse totam Ægyptum concionabundus obibat, Christoque longè plurimos jungebat mercatores præsertim, quibus tempestate aliquando jactatis, post preces fusas solem & cum sole fidei lucem ostendit. Ob id cùm Alexandriæ in summo honore jam esset, iterum Ægypti intima petiit. Hic illi tectum coelum, cubile terra, culcitra cilicium cervical lapis fuit. Huic etiam invigilabat potiùs quàm indormiebat; quò molliùs tamen jaceret, lectulum hunc suum lachrymis quotidie lavabat. Verùm è privato hoc pulvere extractus in arenam



atenam à Petro Vercellensi Antistite, cui unà cum pluribus aliis capto libertatem apud barbarum Regem exoraverat. Coenobitis Lacedensibus præesse iussus est, dum vitâ simul & munere est functus. Porro quem adgeniculari ad tumultum Divi cernis, fraternæ cædis reus est. Hunc cum supplicem Sacerdos quidem, sed non Conscientia absolveret, annos plures à domesticis furiis agitatus, malaciam tandem animo apud cineres BONONII reperit. Veniam nunciarunt ruptæ ultro manicæ, quas reus ipse dextro & cædis auctori brachio induxerat. Hæ nunc licet è ferro sint, an non pulchrius tamen suspensæ tumulo BONONIUM ornant: quàm Manliani, quos olim adjecerat, torques facturi fuissent? *Ex Gabr.*

*Palaoto.*

MEDITATIO.

*De contemptu mundi.*

I: **O**Mne quod est in mundo, est concupiscentia carnis, inquit S. Joannes. Et quid est caro, nisi sperma fatidum, saccus stercoreum, cibus vermium? è contrâ quid est anima tua? Spiritualis; immortalis? Deo-simillima substantia, & Deo desponsata in fide, dotata in spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis; & corpus tam scædum sterquilinum curas; animam verò negligis? *Si animam negligis, nec corpus salvare poteris, nec*

K 2

*enim*



*enim anima pro corpore; Sed corpus pro anima factum est.*  
S. Bern.

2. *Omne quod est in mundo, est concupiscentia oculorum.*  
Ostolida divitiarum concupiscentia. Quæ affligit laboriosis desideriiis acquirendi, Cruciat cupidine agendi, & angit metu amittendi. Immò ne decrescat cumulus, abstinent à partis multo sudore divitiis, atque ita bonis temperalibus non utuntur, nec utentur aternis.  
Eucherius.

3. *Omne quod est in mundo, est superbia vite.* Doctrina S. Chrysofomi est: propter gloriam greges famulorum, equos auro opertos, argenteas mensas & ædificia splendida expetunt homines, ut gloriosi videantur. Sed ubi sunt gloriosi illi, qui ante pauca tempora adhuc erant nobiscum? Memoria illorum fortasse superest? hæc autem quid prodest? si ubi sunt, torquentur, & ubi non sunt, laudantur Chryf.

## S. AIDANUS Episcopus

31. Augusti.

*Estote parati, quia quâ nescitis horus filius hominis venturus est.* Math. 24

**H**ic ille AIDANUS est Lindisfarnensis Pontifex, Quem ad Angliæ regnum Christo subjiciendum, purpurato interprete usum (Oswaldo Rege) supra diximus. Nimirum tot Apostolos ferè olim Anglia quot Reges habuit. Sed quæ in alia etiam regna

diver